



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 56. Calendarium Gregorianum in Germania receptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.A. C. 1583.

solvunt, ablata annonæ parte, quam ibidem repererant: verum Canonici Catholicam fidem professi de horum temeritate graviter querebantur, hoc autem negotio ad Senatum delato res ad Joannem Manderscheidum tunc Argentinensem Episcopum devolvebatur, qui ab initio causæ cognitionem recusat: postea vero a convocatis ditionis suæ ordinibus petebat, ut partes suas interponerent, & delegatos mitterent, qui cum suis, & Senatus delegatis de ratione dissidii componendi conferrent: verum Senatus, ne iudicium approbare videretur, conditionem recusabat: insuper Nobilitas in iudicium consentire, ac delegatos mittere noluit: Senatus autem, qui se hoc facto quasi in ordinem cogi videbat, mox ad decem civitates Imperiales vicinas mittit, & Alsatia nobilitatem in urbem vocat, concilioque habito de rationibus consultat, quibus obviam Pontificiorum Tyrannidi, ut agebant, si bellum molirentur, iri posset. Attamen neminem efficacius urgente Fridericus Argentinensem Decanatum tranquille possidere pergebat.

§. LVI.

Calendarium Gregorianum in Germania receptum.

Quam-

Quamvis Cæsar ob rationes nuper al-
 latas ut Calendarium Gregoria-
 num in Germania reciperetur, hucus-
 que impetrare non posset, tandem hoc
 anno millesimo quingentesimo octogesi-
 mo tertio votis damnatus illud ab om-
 nibus Catholicis acceptari præcepit,
 ac primo quidem neo-electus Coloniensis
 Archiepiscopus hoc negotium, cui ob
 belli tumultus hucusque vacare
 haud poterat, ineunte Menſe Novem-
 bri ad exitum deducebat, post diem
 secundam ejusdem Mensis statim de-
 cem dies auferens, adeo, ut præfata
 die jam duodecima, altera autem die
 numeraretur decima tertia Novembris,
 qua festum S. Martini celebrabatur:
 postea Ernestus Leodium contendit, ubi
 Trevirenses summa magnificentia ex-
 cepit, atque ab eo ceremoniis, ac ritu
 recepto in Septemvirum Sacramento
 solemniter initiatus est, nec multo post
 Rotenburgi ad Tuberum (*) conventus cele-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1583.

(*) Haud dissimulanda est hallucinatio Con-
 tinuatoris, qui in Rotenburgensi colloquio de
 Calendario actum esse refert, cum tamen ibi-
 dem nonnisi de pace Religionis, & Reipublicæ
 in Imperio constituenda, & de componendo
 Coloniensium dissidio actum esset: tumultus
 vero circa Calendarium a Protestantibus non
 Rotenburgi, sed Augustæ suscitati fuerunt:
 vide Thuan. l. 79. mihi fol. 181, & 182.

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

celebratur, ubi a Cæsaris, & Septemvirorum, necnon Ludovici Wirtembergici Ducis Oratoribus de novo Calendario agebatur, ubi post acres utrinque contentiones res ad arma spectare videbatur, sed tandem Ducis Wittembergici vicini, atque Augustanis foederati, necnon Ulmenfis Senatus Legati intercessere, eorumque ope ita res composita est, ut abolita utrinque prætorum memoria, & salva Religionis pace Calendarium ab utraque parte ad vitanda commercii publici incommoda reciperetur: ne vero exinde præjudicium causæ Protestantium fieret, licebat eorum Pastoribus ex suggestu solemnem protestationem prælegere, quod in Evangelii doctrina, quam hæctenus professi essent, nihil propterea mutare vellent, aut porro mutaturi essent, nec, ut Pontifici Romano, sed ut Cæsareæ Majestati, & civili Magistratui obtemperarent, Calendarium se cum aliis civibus in eadem urbe servaturos esse testabantur.

§. LVII.

Singularis Franciæ Regis pietas.

Thuan. l. 79.
Spond. n. 10.
Journal de
Henrici III.
t. I. p. 59.

Ceterum Henricus III. Galliarum Rex hoc item anno insolita suæ pietatis exercitia aucto fervore prosequabatur, ut apparenti hac Religionis specie subditorum